

Fr. Godefridus (Carolus Redemann) (1892-1962)

(Prov. Coloniensis)



Multi per orbem confratres hunc eximium Fratrem Coadiutorem noverunt, quandoquidem is per 24 annos (1924-1948) in domo generalitiae vixit.

Natus in Bochum Westfaliae 4 nov. 1892, brevi post expletum septuagesimum annum, 22 nov. 1962, in Bous terrae Saar sancto fine quievit; et litterae eius obitum nuntiantes claudebantur his verbis: « Nolumus contristari quod F. Godefridum amisimus, sed potius grati simus Deo quod nobis tantae virtutis confratrem dedit ».

Inde a prima aetatula Carolus Redemann in nostrae Congregationis cognitionem venit; nobis enim in Bochum inde ab anno 1868 magnum est collegium cum magna ecclesia, et pater eius in nostra domo operabatur quasi cotidie. Ita factum est ut Carolus esset inter pueros nostro altari servientes et annos natus septemdecim (1909) admissionem ad nostrum Institutum peteret. Quod vota non emisit nisi 24 feb. 1919, una cum fratre germano minore Hermanno (in religione Georgio), primo magno bello adscribendum est; nam in eo Carolus fuit miles, tormentis bellicis addictus.

Post professionem F. Godefridus domui urbis natalis adscriptus est et post quinquennium Romam missus, faber lignarius et electrotechnicus domus generalitiae. Adhuc ibi multa eius opera exstant. Paratus autem semper erat ad quodcumque opus necessarium vel utile, licet alienum a propria arte mechanica. Sic anno 1943, in medio bello, una cum P. Ministro Philippo Hoffmann, paris virtutis viro, deficiente aqua aquaeductuum, puteum pristinae Villae « Caserta », in constructione novae domus generalitiae, rudere impletum, improbo labore mundavit, sicut alibi iam narratum est (1); et quae F. Godefridus in praema-

(1) *Analecta C.S.S.R.*, 1949, p. 48.

tura morte P. Philippi Hoffmann (6 nov. 1948) scripsit, de scribente quoque valent, quatenus etiam in ipso nullum apparebat pravi egoismi vestigium, sed potius caritas, bonitas, iuvandi promptitudo, spiritus laboris strenui unitus spiritui orationis.

Videmur adhuc nobis videre hunc F. Coadiutorem diebus ferialibus in vestitu sordido suis laboribus arduis deditum, festivis vero diebus diu ante Tabernaculum orationi immersum, sic suo fulgido exemplo docentem illud *Ora et labora*. Aliam partem illius temporis quo ab opera manuali vacabat, solebat serio studio dicare, praesertim antiquitatum Aeternae Urbis, et numerosas paginas fructibus suae attentae lectionis replevit. Defletus Rector Maior, P. Patricius Murray, tanti hunc humilem Fratrem aestimabat, ut etiam post suam muneris renuntiationem (1947) cum eo commercium epistolare continuare voluerit.

Imago spiritualis F. Godefridi esset incompleta absque his duabus virtutibus: erat incapax mendacii, duplicitatis, hypocrisis, et quivis sciebat se eius verbis fidere posse. Praeterea cunctis gratus erat sua hilaritate suoque cachinno « cordiali ».

F. Godefridus iam provectae aetatis signa monstrabat (incanuerat et auditus valde erat imminutus), quando anno 1948, annum agens quinquagesimum sextum, in patriam revocabatur ut Provinciae matri, e ruinis belli perditae lente surgenti, succurreret. Id primum Aquisgranum generose praestitit in refabricanda destructa domo et ecclesia, dein longe diutius, inde a die 28 nov. 1949, in novo collegio et iunioratu Bous exstruendis, et in hac domo, ut iam dictum est, remansit usque ad mortem. Non solum faber lignarius et electrotechnicus erat, sed etiam stabularius et curator calefactionis.

Mense maio anni 1960 cum magno suo gaudio, comite fratre germano, iterum Urbem videre potuit aliaque loca sacra Italiae. Fortunata tunc ignorabat, quanta ei perpetienda remanebant. Ineunte anno 1961 in eo prima signa terribilis illius morbi, canceri, apparuerunt, quo etiam P. Philippus Hoffmann nobis ereptus est.

Qui hac infirmitate affecti sunt, mortem vident lento passu appropinquantem et intelligentiae usum servant. Ad illud temporis momentum, unde pendet aeternitas, F. Godefridus ita se praeparavit, ut cunctis esset aedificationi. Quo minus operam manualemente perficere poterat, eo magis orabat. De nulla re lamentabatur, immo illam hilaritatem servare studebat, qua in vita tantopere proxi-

num delectaverat. Aiebat se malle mori in domo religiosa et non in nosocomio extra domum. Tempestive voluit recipere sacramentum infirmorum. Fortis hæmorrhagia, vespere festi Præsentationis B.M.V. a. 1962 se manifestans, acutos quidem dolores imminuit, sed simul ostendit Dominum stare ante portam. Insequenti die F. Georgius, deprehendens circa horam 14 signa proximi finis, vocavit superiorem domus; verum in reditu invenit carissimum fratrem germanum iam mortuum. Etiam in hac re igitur F. Godefridus exemplum S. Gerardi Maiella imitatus erat.

In vita F. Godefridus parum commercii cum incolis illius pagi ac regionis habuerat; tamen hi, audito eius obitu, numero omnem exspectionem superante primum ad videndum eius corpus emortuum et die 26 nov. (1962) ad funeris solemnia accurrerunt.

Nunc corpus F. Godefridi, labore morboque extenuatum, quiescit in pulchro nostro coemeterio privato. Anima autem eius quam primum intret, si nondum intravit, in gaudium Domini sui.

CL. HENZE, C.SS.R.